

Illo igitur praesente, corpus incorruptum servatur; sublato vero, statim corrumpitur. Motus igitur principium ejus est continens, et magis conservans, qui videlicet et incorruptum id conservat.

§. 4. Verum motus iste non est spontaneus, neque a se ipso nascitur, sed originem suam a sensatione et structura totius corporis, et singularum ejus partium petit; quae et machina audit, artificiumque, concinnitas etiam ejus et adhuc compactio. Atque sensationis quidem principium et fundamentum cerebrum est, potentia vero nervi, qui ubique per corpus extenduntur, et opus suum id est sensum vel motum, utrosque autem celerrime perficiunt, isti enim nervi a cerebro, cerebello et medulla spinali in parte quodammodo anteriori, ad paria conjugatim egrediuntur (g); molliter vero ad quinque instrumenta sensoria, ad viscera, musculosve et ad totum etiam corpus pervenientes, sensus et motus facultatem omnibus adferunt (h);

sunt

---

(g) Alb. v. Haller prim. Lin. physiologiae §. 370. sequ. (h) id. ib. §. 380. seq.